

appetit honores, opes negligit, et quantulumcumque, ut relicturus, satis habet: tunc deos, tunc hominem esse se meminit: inuidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur: balinea imaginatur et fontes. Haec summa curarum, summa votorum; mollemque in posterum et pinguem, si contingat euadere, hoc est, innoxiam beatamque destinat vitam. Possum ergo, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus philosophi docere conantur, ipse breviter tibi mihi praecipere, ut tales esse sani perseueremus, quales nos futuros profitemur infirmi. Vale.

XII. C. PLINIUS SURAE SUO S.

«An aliquid spectra sint, ita quaerit, ut exemplis Curtii, Rufi et Athenodori philosophi, tum domesticorum suorum adfirmare videatur.»

Et mihi discendi, et tibi docendi facultatem otium praebet. Igitur perquam velim scire, esse aliquid phasmata, et habere propriam figuram numenque aliquod putas, an inania et vana ex metu nostro imaginem accipere. Ego, ut esse credam, in primis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc et obscurus obtinenti Africam comes haeserat: inclinato die spatiabatur in porticu: offertur ei mulieris figura, humana, grandior pulchiorque: per territo Africam se, futurorum praenuntiam, dixit: iturum eum Romam, honoresque gesturam, atque etiam cum summo imperio in eamdem prouinciam reversurum ibique moriturum. Facta sunt omnia. Praeterea accedenti Carthaginem, egredientique nauem, eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certe implicitus morbo, futura praeteritis, aduersa secundis auguratus, spem salutis, nullo seorum desperante, projecit. Jam illud, nonne et magis terribile, et non minus mirum est, quod exponam, ut accepi? Erat Athenis spatiosa